







B. B.  
k.

A

D

10  
CO



DISSERTATIONE INAUGVRALI

*Differentias iuris*

*Romani & Germanici*

IN

**FIDEI VSSIONE  
VXORIS,**

PRAESIDE

**IOANNE PETRO A LVDEWIG, IC<sup>TO</sup>,**

S. R. MAIESTATIS CONSILIARIO INTIMO ATQVE REGIMINIS

IN HOC DVCATV, IVRIS ET HISTORICARVM PROFESSORE,

**PRO DOCTORIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS**

RESPONDEBIT

**ISAAC. NICOLAVS SCHWASMANN,**

PARCHIM. MEGAPOL.

DICASTERII GVSTROV. ADVOCATVS ET PROCVRAT. ORDIN.

---

H. L. Q. S.

DIE XVIII. MENSIS MAII CIO IDCCXX.

---

HALAE VENEDORVM,

TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI ACAD. ET SENAT. TYPOGR.  
MDCCXXXVII.

(4)

THESEY TION  
FEDERATION  
VAKORIS

JOHNE FETROKALD  
DOCTOR

ISAAC NICOLAS & WASSMANN

H. A. G. J.  
THE FATH. MESSIS  
H. A. G. J.  
THE FATH. MESSIS



*Differentiae iuris  
Romani & Germanici*  
IN  
FIDEIVSSIONE  
VXORIS.

DIFFERENTIA I.

*Num difficilius pro marito fideiubeat uxor, quam mulier pro extraneo?*

**R**omano iure facilius indulgetur foeminae, ut pro extraneo fideiubeat, quam pro marito. Ultimo enim non solum obest VELLEIANVM, sed etiam AVTHENTICA *si qua mulier*, ubi uxorem intercessionem ipso iure nullae habentur, nisi quando doceri potest uersio, in rem eius facta. Causae ad ita sentiendum repetendae ex indole matrimoniorum Latii. Nam egerat mulier in potestate uiri, ut omnino metus a mariti blanditiis, ui, fraude infidiisque. Deinde, in tantis Romanorum diuortiiis, fieri poterat, ut uxor, bonis nudata, domo expelleretur linquereturque

A in

AVTHENTICAE  
*si qua mulier I.*  
R. ratio, confut.  
uissima.

*Improride &  
inconsulta  
apud Germa-  
nos.*

in egestate. Demum parum intererat uxoris, acquireretne, an bonis caderet maritus. Cui nihil debebatur illo mortuo, quam illata dos & quae sunt aliae causae tanti, aduersus uxorum fideiussiones, rigoris (1). *Aliter instituta & mores Germanorum.* Colimus matrimonia indimissibilia: sustinemus coniugum donationes: per maritos acquirunt uxores, olim uel heredes uel tamen instructae uictalio, donatione antedotali cetera. Imo uxoribus etiam est, facere quaestum in re familiari & discere, instar uiri, fideiussionis pericula & damna. Quod magis, bonorum inter coniuges, ordinario apud nos iure, communio, ut facta uxoris maritus teneatur ipso iure sine fideiussionis aliquo adminiculo. Hoc cum ita sit, facile est ad intelligendum: *quare e contrario apud Germanos facilius indulgetur fideiussio uxoris pro marito, quam mulie-*



mulieris pro uiro extraneo (2). Adeoque, tanti licet in Latio fauoris, AV-  
 THENTICA *si qua mulier* Inuidiae plena  
 apud Germanos neque in aliquibus  
 prouinciis sine causa omnino sublata  
 aut potius usu nunquam recepta.

(1) Princeps causa, ne foemina fideiubeat, haec ui-  
 detur fuisse: ne VXOR induceretur ad fideiubendum blanditiis,  
 dolo, metu, uiolentia MARITI. Nam principio, ne uxor pro  
 extraneis intercederet, uniuersim cohibebatur illo mulie-  
 ris uerecundiae sepimento; ne ingereret se negotiis alie-  
 nis. Quod, mariti intuitu, non fuerat satis, cum utri-  
 usque coniugis eadem familia. Deinde tam multiplices  
 casus & pericula ab extraneis metui non poterant in fi-  
 deiussionibus, quos pudor fere retinebat, ne foeminam  
 ideo sollicitarent: contra ab imperio & precibus mariti  
 nullo tempore uxor secura. Accedit, quod ideo mulieri-  
 bus quidem licuit donare aliquid extraneis: non autem  
 suo marito, ne quid ultimus faceret per blanditias, me-  
 tum aut uim, Tandem, nisi obicem posuissent leges tam  
 donationibus inter coniuges, quam fideiussionibus uxo-  
 rum pro maritis (\*): mulieres a maritis suis uel circum-  
 uentae essent uel, si rogationi maritali obstitissent, per  
 diuortium dimissae & domo eiectae (\*a). Quod cum

*Verae causae*  
 NOVELLAE 134.  
 c. 8. siue AV-  
 THENTICAE si  
 qua mulier  
 ad S. Vall.

(\*) Quia contra maritis intercedere licet pro suis uxoribus l. 3. cum te C. ne uxor pro marito

(\*a) Licet enim Iustinianus imperator sustulerit diuortiorum & repudiorum intemperiam ac libidinem: tamen, illius etiam decreto, tot causae diuortiorum & repudiorum indultae in NOVELLA 117. c. 7.

8.9. ut facile fuerit marito ad aliquid effingendum & probandum, quo sibi ingratam & molestatam uxorem iure dimitteret. Quo rerum statu omnino opus esse uidebatur, diuortii occasiones ex intercessione, ab uxore negata marito, e medio tollere per AVTHENTICAE si qua mulier auctoritatem.

Iustinianus hic  
liberatus a su-  
spicione L. mu-  
lierosae.

ita fit, facile est ad intelligendum causas, quare facilius fue-  
rit *legulator* in fideiussione indulgenda mulieri pro ex-  
traneo, quam pro suo marito. Atque haec uera & ido-  
nea (\*\*\*) ratio NOVELLAE 134. c. 8. quae eadem inter  
AUTHENTICAS relata C. ad S. Vell. hisque uerbis concepta:  
*si qua mulier crediti instrumento* (confecto ad normam l. 23.  
C. ad S. Vell. per quod alias mulierum intercessio non erat  
ipso iure nulla) CONSENTIAT VIRO (marito) aut scribat &  
*se ipsam obligatam* (debitum in se facipiendo) faciat, IV-  
BEMVS (uerbis admodum significantibus) hoc NVLLATENVS  
(omnibus limitationibus, ubi exulat alias Velleianum,  
ubi fideiussio a muliere facta pro extraneo, improbat) *ualere*.  
Sive SEMEL (quoniam alias exulat Velleianum, si  
mulier fideiussorem post biennium repetierit l. 22. C. ad  
S. Vell.) sive MVLTOTIES hoc fiat. Sive priuatum sive PVBLI-  
CVM (fisci, cuius alias tantus fauor) sit debitum. Nisi  
(hoc casu unico adiecto) *manifeste praeberetur*, (ut non suf-  
ficienti confessioni mulieris) quod pecunia (non eius pars) ex-  
pensa in propriam uxoris utilitatem. Ex his iuris Romani  
uerbis & rationibus colligunt arguuntque iurium pru-  
dentes uxorem pro marito intercedentem l) tutam esse ipso  
iure neque opus esse auxilio Velleiani aut eius exceptio-  
ne. Ipsa GLOSSA *no nullatenus reddit, ipso iure*, BARBOSA ad  
l. 1. D. solut. matrim. n. 59. II.) licet uxor uel uniuersum re-  
nuntiauerit Velleianum uel adiuncto iureiurando, eam ni-  
hilominus non teneri, quae doctrina est BALDI b. l. & BO-  
LOGNINI conf. 45. n. 7. uel, quod quidem ex ratione iuris  
civilis addi omnino potest, licet etiam authentica, *si qua  
mulier*, certior eius facta, renuntiauerit et iuraueritque,  
qua de re dictum in *differ. 2. different. 1.* Nam iure de-

(\*\*) Apagere ergo rationes authenticas  
ingrues. Quod seculum Iustiniani fue-  
rit uxorium; quod Theodora imperiosa;  
quod ipse Iustinianus mulierosus; quod  
Tribonianus morbo laborauerit studi-

immanis, tollendi aut corrigendi leges  
ante latas. In quibus tamen ratiuncu-  
lis sibi placent iureconfulti, ceteroquin  
de luto meliori.

mum

mum canonico docent, iuramentum esse attendendum, si  
 quidem mulier utrumque erarauerit & *Velleianum* & *au-*  
*thenticam*, alterutrum enim non sufficere SANDE *lib. 3. de-*  
*cif. tit. 1. def. 4.* GALLERATIVS *de renuntiat. tom. 2. renunt. 63. n. 8.*  
 Vniuersim tamen renuntiationem omnis auxilii cuius-  
 cunque sit nominis aduersus obligationem ex fideiussio-  
 ne, etiam hic sufficere, sustinent STRVVIUS *exercit. XXI.*  
 §. II. atque b. m. STRYKIVS *de cau. contract. sect. 2. c. 6. §. 6.*  
 III.) non teneri uxorem pro marito fideiussorem, licet sae-  
 pius iterumque repetierit fideiussionem THESAVRVS *decif.*  
 223. n. 4. NOVELLVS *de dote lib. 1. part. 7. spec. 1. n. 15. IV.) non*  
*teneri eandem, licet cum marito dederit chirographum,*  
*cambium, idque in obligatione uel correali uel in solidum, re-*  
*nuntiatione adiecta beneficii diuisionis. Quia etiam tum cre-*  
*dendum sit, debitum mariti esse & uxorem ad se obli-*  
*gandum inductam, tradunt TIRAQUELLVS de retractu lign.*  
 §. 31. *gloss. 1. n. 5. August. BARBOSA ad h. t. Cod. num. 24.* Suf-  
 ficere hic, manifeste non constare, aliquid uerum esse  
 in rem uxoris FABER *in eod. lib. IV. tit. 20. BERLICHIVS part.*  
 1. *concl. 19. n. 59. V.) non teneri eandem, quicquid etiam*  
*fecerit alias in gratiam sui mariti, siue contractus mutui*  
*fit siue alius quiuus H. DONELLVS lib. 12. c. 29. THESAVRVS de-*  
*cif. 222. n. 14. nisi in casu hoc unico, qui in ipsa AVTHEN-*  
*TICA sit nominatus, si scilicet clare constet, pecuniam*  
*aut creditum uersum esse in rem uxoris Luder. MENCKE h. t.*  
 §. 5. VI.) quod magis, non teneri uxorem, si fideiusse-  
 rit non pro ipsomet marito; sed tantummodo in eius  
*gratiam & fauorem pro illius patre, fratre, liberis, amicis,*  
*quae philosophia ueterum & recentiorum BERLICHII part.*  
 2. *conclus. 59. n. 67. TRENTACINQVI resol. 3. n. 7. quia neque*  
*his donare liceat BERLICHIVS part. 2. concl. 19. n. 68. Neque*  
 VII.) satis esse, si mulier adfirmet, dicis quidem causam, in  
 rem uersum fuisse illud, pro quo in mariti gratiam fide-  
 iussit,

nomi (s)

A 3

iussit,

iussit, nisi etiam constet de uersionis in rem ueritate, uti arbitratur Paul. GALLERATIVS de renunt. cent. 1. renunt. 63. n. 8. VII) imo stipulationem mulieris de non ante requirendis a marito bonis, quam solutus sit creditor, neque a iudice indulgendam neque uim destruere S. C. Velleiani, uti sententiam habet FABER in Cod. lib. IV. tit. 21. def. 2. IX.) licet etiam muliere iubente, soluerit mulieris secundus fideiussor. Sibi tribuat, quod soluerit parum consulte, quia & ipse tutus Velleiano l. qui excepti. 40. l. si contra sortem 26. §. indebitum D. de condict. ind. Sententiam iterum habet FABER in lib. IV. tit. 21. def. 6. X.) neque obligatur mulier, si pro rebus fideiussit, quae alimentis uel suis necessariae uel liberorum, quod IDEM defendit lib. IV. C. tit. 21. def. 8. XI.) ad extremum si uxor sua uendiderit creditori mariti, liberando maritum, tuta est *authentica* non minus, IDEM lib. IV. C. tit. 21. def. 19. XII.) multo magis si uendiderit sua cum mariti consensu IDEM lib. IV. C. tit. 21. def. 27. Addo, quod firmiter existimem, tempore Diui etiam Augusti in primis legem aduersus fideiussiones mulierum pro suis maritis *prohibitam* fuisse, instar prohibitaee donationis in l. 2. §. primo D. ad S. Velleian. Post uero, quam M. Silanus & Velleius T. eius prohibitionis limites protulerunt aduersus quascunq; mulierum fideiussiones pro *extraneis* etiam factum est, ut iureconsulti ultimum hoc fideiussionis genus, forte utilitatis publicae causa, multis limitationibus temperarent, imo alii easdem non minus extenderent ad fideiussiones pro *maritis*: ideo causas grauissimas habuit Iustinianus, ut doceret utriusque fideiussionis pro *extraneo* & pro *marito* discrimina & differentias, atque ultimum genus in *AVTHENTICA* hac *si qua mulier* prorsus improbaret uelletque e republica sublatum. Indultis licet, olim statutis limitationibus, ubi locus non esset Velleiano in fideiussione pro extraneo.

AVTHENTICA *si*  
qua mulier ve-  
rvstior Iustini-  
ano.

(2) Non

(2) Non solum pleraeque rationes, ob quas uxori Romanae non licuit intercedere pro suo marito, cessant in iure Germanico: sed etiam plura pietatis & uirtutis argumenta sunt ad suadendum & commendandum uxori pro suo coniuge fideiuffionem. Nam sunt Germanico & christiano nunc iure matrimonia indimissibilia, ut, ex fideiuffione laesa & in paupertatem redacta, uxor nequeat a suo marito uel sperni uel relinqui uel per diuortium dimitti. Id potius constat, ex hac fide coniugali, etiam fideiubendo probata, amoris uinculum & fiduciam adaugeri insigniter in marito, ut omnino cogitet compensare alii officiorum generibus ac praemiis uxoris suae facilitatem in adiuuanda re familiari. *Deinde*, cum mariti quaestus sit etiam suo modo quaestus uxoris, quoniam uxor heres mariti particeps redditur bonorum, mariti industria adactorum: tenentur mulieres, quasi ex cuiusdam societatis lege aut negotiorum gestorum contractu. Tantum abest, ut sua uoluntate ac facto intercedere ac fideiubere teneantur pro suis maritis. *Porro*, mortuo etiam marito etsi fuerint exheredes, debentur tamen uiduae ex bonis mariti uel alimenta uel uictalium. Ut adeo fieri non possit, quamdiu de mariti bonis aliquid superfit, uxorem uel uiduam indigere & suae intercessionis illud damnum contrahere, quod metuendum fuerat apud Romanos. *Tandem* cum uxores Germanicae indulgentius & liberalius educentur, quam Romanae etiam illud intelligitur in patria nostra, quod pleraeque earundem uel communem cum marito uel ab hoc peculiarem faciant colantque quaestum. Ut adeo sat difficiles sint, si quando in gratiam mariti, debitoris minus idonei, suam interponere rogantur fidem ac fideiubere. Sunt enim satis expeditae ad reponendum: *man sollte ihr dergleichen nicht anmuthen; sie hätte ihre Einnahme und Ausgabe*

FIDEIUFFIONIS  
pro marito argu-  
menta SVA-  
SORIA ex I. G.  
aduersus au-  
thenticam.  
Quia  
1) matrimonia  
indimissibilia.

2) uxor heres  
mariti.

3) uitalitii  
particeps.

4) QVAESTVS  
colendi non  
ignara.

5) DIFFICILIS  
ad fideiuben-  
dum.

be vor sich, mengeten sich nicht in ihres Mannes sachen; hielte es ihrem Manne vor schimpflich, wann der creditor mehr auf das Weib, als den Mann sehen wolte; es gäbe hernach Irrung unter den Eheleuten; der Mann bekümmere sich so dann nicht um die Widerzahlung; si habe es verredet, vor ihren Mann Bürge zu werden; Handelsechafft litte keine Freundschaft & quae sunt eiusmodi ciuiles gerrae, quibus uxores Germanicae fideiussiones pro maritis solent declinare. Quod si autem marito debitori uel obstagii uel carceris aut custodiae metus imminet, demum prodere solent arcanum formulis aliis: si würde nun ihrem Mann einen tresslichen Dienst thun, wann sie vor ihn sich verbürgete. Ihr Mann würde es ihr viel mehr dancken, daß sie das Ihrige noch hätte; davon sie ihn nunmehr mit seinen Kindern ernähren könte; es würden große Schulden halben gesetzt; sie müste auf ihre Kinder sehen; diese wären ihr näher, als alle creditores. Vt adeo, in tanta ad fideiubendum pro marito difficultate, uix opus sit, intercessiones uxorū apud Germanos, maturo consilio susceptas, lege aliqua habere pro irritis ac ipso iure nullis. Praefertim cum ingeniorum etiam mulierum tanta in Germania non sit leuitas in promittendo, quam in Latio, ut adeo in primis uiae ad decipiendum non adeo lubricae, quam in altero. Taceo, in plerisque Germaniae prouinciis illud esse constitutum: ut uxor, pro marito fideiussor, suspenso mariti curatorio, instruatür peculiari consultore ac curatore, cuius officium in eo uersatur, ut eandem casuum & periculorum admoveat, ex fideiussione metuendorum. Vt adeo tum foemina fideiussor, non suis solum oculis uideat, sed etiam alienis sui curatoris. Tandem eo minus tum dubitandi aliqua ratio subest, si uxor mariti fideiussor rem siue familiarem siue mercatoriam siue cauponariam siue tabernariam exerceat cum marito, ut ideo dici possit fidentius socia. Quo

6) praefertim  
ubi instructa  
suo curatore

7) multo magis,  
ubi negotiorum &  
nundinationum  
committitur.

Quo certe casu & VELLEIANVM & AVTHENTICAM si qua mulier, in Germaniae prouinciis exulare, illud quidem plene planeque *da. praef.* docuit in *altera & tertia* dissertationibus huius argumenti. Quae huc omnino consulendae. Demum re ipsa intellexerunt maioris ordinis Germaniae emporia, fieri non posse, ut liber esset usus commerciorum, nisi prorsus tollerentur aut certe attenderentur in casibus nonnisi rarissimis AVTHENTICA, *si qua mulier.* & Velleianum, improba muliebris & maritalis uersutiae praefidia. Idque cum *maritorum* causa, tum *uxorum*. Nam ubi Velleiano statur, ibi maritus, si uxor opulenta, perdit omnem fidem, ingenti nundinationum offendiculo ac damno, Ad hunc enim lapidem tum omnes creditores offendunt, dum pensi habent, non teneri uxorem, ne quidem fideiussorem pro marito. Hoc igitur si detur uxori, ut, quae attulit marito, repetat ante omnes creditores: dubium esse, an mercatori deinceps porro multum supersit. *Wer seiner Frauen Gelder habe, könne in Handel und Wandel grosses Gesperre machen. Wenn das Weib, wie ihr solches vor allen zukäme, das Ibrige wegnehme, würde nicht der Löffel auf dem Tische demselben bleiben. Imo laepe etiam subolent diuinantque fraudem, dicendo: der Mann hazardire ins gelach hinein, dann er dencke, wann es nicht wohl abliesse, nehme seine Frau doch so viel weg, dass er leben oder wiederum ein Gewerbe anfangen könnte.* Quae suspicionis genera cum inter mercatores regnent, facile est ad intelligendum causas, quare Velleianum optimo etiam marito damnus conciliet. Atque idem hoc etiam in ipsam uxorem & liberos eius, olim heredes, re-

8) AVTHENTICA si qua mulier, INUIDIAE plena apud Germanos, ex causa 1) mariti.

2) uxoris & liberorum.

B

us si-

3) *creditorum*

us fiducia Velleiani. Licet enim foemina luxu & libidine sua in causa sit, quod bonis cadere oporteat maritum adeoque Velleiano indigna: sunt tamen plerique iureconfulti etiam hic iusto indulgentiores, absolviendo uxorem & omnem culpam reiiciendo in maritum, cuius officium esse putant, mulierem luxuriosam corrigere & castigare uerbis. Verum hoc ipsum quidem Romae fieri poterat, ubi ob leuem causam licuit uxorem expellere & facere diuortium. Quod iterum in G. I. longe est difficilium, partim, quod matrimonia indimissibilia; partim, quod in processu coniugali plerumque uxor fauorem habeat reperiatque in iudice. Cuius animum nunc occupat fragilitas sexus, nunc intempestiua commiseratio, multoties etiam uoluptatis & amoris illecebrae: ut, si iudici unquam alias, tum certe optandum, ut oculos comprimat aut iudicet, arcopagitarum more, interposito inter eum & partem idoneo pariete. Commendabilior ergo Germanico iure uniuersim *inter coniuges bonorum communio*, ubi facto unius etiam pars altera obligatur ipso iure, nullo fideiussionis adminiculo. Hanc enim in Latio quondam fuisse, praesertim in nuptiis, farreatione contractis & in plerisque Europae regnis hodieque in usu esse, pridem docuit *dn. praef. in miscellis tom. 2. lib. 4. opusculo 7. p. 1301. 1302. Abrah. a WESEL in libro singulari de conubiali bonorum societate & licet titubanter, parum b. m. STRYKIVS de iure mariti in bonis uxoris c. 1.* Haec igitur bonorum inter coniuges communio Germanis quondam uniuersim probata, satis ostendit, quam improbum fidei eorundem peregrinae iurisprudentiae praesidium sit habitum Velleianum in debitore uxore pro suo marito. Quod cum ita sit, meretur in patria nostra *AVTHENTICA si qua mulier cum sua nouerca, Velleiano*, uel prorsus proscribi uel tamen limitationes, in nota praecedenti enumeratae & reiectae, in foris nostris admitti, nisi peregrinae legis causa,

9) *commendabilior bonorum communio.*



causa, uelimus in patria cum ratione delirare. Atque haec differentiarum lumina gratissima erunt illis, quae nuper sub illustri praesidio dn. Boehmeri disputauit Ioan. Bernh. REMBOVSKY, eques Polonus & tribunalium Vratislauensum aduocatus in opusculo inaugurali de efficaci mulierum intercessione. Ipse enim uidit quidem VELLEIANI & AVTHENTICAE, si qua mulier in patria iniquitatem & duritiam: sed in causas auctor non penetrauit, requirendas nonnisi ex Latii atque Germaniae mulierum & uxorum differentis, nulli proditis adhuc. Quapropter non est, quod in leges Latii hic inuchamus atque illas habeamus pro mulierosis aut imperio mulierum extortis legislatoribus: quoniam illae in Romana republica latae sunt omnino prouidentissime, licet patriae institutis sint inconcinnae. Atque, his utriusque reipublicae discriminibus positis, etiam naturales utrinque differant rationes. Ut frustra etiam illorum hic philosophia sit, qui, a conditione & statu primae uel alterius reipublicae animum abstrahendo, in foeminarum fideiussionibus cohibendis uel rigidi esse uolunt uel indulgentes. Vbi operis difficillimi, inter nimium & parum deuitare errores.

## DIFFERENTIA II.

*Nam authenticae locus si uincula immineant marito creditori?*

*Romano iure* omnino dubium: num uxor Velleiano tuta, si fideiubendo maritum liberauit a uinculis, carcere, obstragio, infamiae genere alio (3). *Germanica iura* haec fidei coniugalis officia maximopere commendant uxoribus, tantum abest, ut illis remedia suggerant,

De uxore fideiussore pro marito LIBERTATE, FAMA, FITA.

rant, fallendi fidem probe datam (4).  
Idque ex rationibus consultissimis.

Nam I. R.  
AVTHENTI-  
CAE locus, si  
mulier fideiu-  
bendo carcere  
liberet mari-  
tum?  
a) affirmantes

(3) Plerique iuris Romani consulti perhibent: *neque VELLEIANO neque AVTHENTICA* si qua mulier, *adluvari uxorem, quae fideiubendo CARCERE liberet suum maritum.* Rationem exceptionis illi requirunt ex *l. 21. sed 15 si D. soluto matrimonio.* Vbi Vlpianus hunc respondet casum: *si maritus ex DOTE expendit, ut mulier de NECESSARIIS suis aliquem VINCVLIS vindicet, actio dotis EVANESCIT.* Inde arguunt: si nefas est, requirere uxorem ea, quae expensa sunt ad eius *necessariorum* liberationem, quia hoc pietatis officio quodammodo tenetur; multo magis tenebitur illa in eodem officii genere marito suo obligabiturque. Ideoque frustra tum in fideiussione praesidium *authenticae* aut *Velleiani.* Ita Edm. MERILLVS in *quingenta decis. Iustin. decis. 14. n. 16.* qui tamen de civili debito ideo dubitat, quod tum sibi maritus consulere possit cessione honorum. Imo dubitat etiam de doctrina hac uniuersim & tutius esse putat, tum foeminam Velleiano renuntiare. Imo casum singularem habet Ioan. PEIR. ACTOLINVS in *resolut. X.* ex instituto, quod foemina fideiussionem, interpositam pro liberatione mariti a carcere, reuocauerit. Verum ingenti numero doctores ipse laudat, qui doceant decidantque, foeminam tum fideiussorem refugere non posse neque ad *Velleianum* neque ad *authenticae*, sed omnino illam fideiubendo tum obligari. In his sunt SVRDVS *conf. 367. n. 10.* RIMALDVS, aliis plenior *lib 1. conf. 77. n. 16.* TIRAQUELLVS *de piaae causae privilegio 113.* Marr. BENEKENDORFF *de contr. mul. sect. 2. membr. 5. part. 2. artic. 1. l. 2. p. 326.* alii. Verum enim uero egomet in alia omnia iuerim ex ratione & indole iuris Romani. Nam *principio* si foemina per *l. 21. D. soluto matrim.* obligata fuit ad maritum suo  
aere

b) negantes  
rationes, ex-  
probratis do-  
ctorum erro-  
ribus.

aere a carcere liberandum, uxor omni tempore urgeri potuit ad soluenda sui mariti debita siue ex contractu siue ex delicto. Quia utrinque & praesertim in l. R. ob immanem creditorum uim ac potestatem in debitores obaeratos maritus debitor poterat in uincula coniici. Verum praeuidit hoc ipsum Iustinianus atque ideo in AVTHENTICA *si qua mulier*, claris uerbis debiti cuiuscunque etiam *publici*, poenae nomine a fisco exacti sub comminatione carceris ac uinculorum, fecit mentionem. Deinde cum matrimonia fuerint Romae *dimissibilia* & libera diuortia, uxori uitio dari non poterat, si hoc pietatis officium neglexit. Partim, quod infamia mariti parum redundauit in solutam; partim, quod parum secura esset, ne uirum ita liberatum beneficii caperet aliquando obliuio & ipsa nihilominus desiderio, nouae coniugis, ab eo dimitteretur. Atque haec etiam causa satis luculenter discrimina prodit, inter uxoris NECESSARIOS & inter *maritum*. Taceo in dicta lege nihil haberi de *fideiuffione*, sed potius describi casum, si ex dote redimeret captiuos consensu & uoluntate uxoris. Vnde quilibet uidet, laudatos doctores, aliter sentiendo, nostros mores ab institutis & rationibus Latii distinguere nesciuisse.

(4) Quod uxor, *fideiuffor* pro marito, ne ille incurrat periculum ac damnum famae, honoris, libertatis, uitae, Germanico iure obligetur neque eidem uel in AVTHENTICA *si qua mulier* uel in VELLEIANO aliquid diuerticuli indulgendum, eius causae sunt plures, ab uxoribus Latii iterum toto coelo diuersae. Nam *principio* matrimonia nostris moribus adeo sunt indissolubilia, ut uinculum coniugale perduret, licet alter coniux fuerit capite deminutus, seruus factus proscriptus, honore priuatus ac dignitate, imo damnatus carceri ac custodiae. Omnia enim haec perferre tenetur uxor, casuum socia & fortunarum

*Qui I. G. in*  
FIDEIUFFIONE  
uxoris pro  
mariti 1) liber-  
tate, 2) fama,  
3) honore ne-  
que locus AV-  
THENTICAE ne-  
que VELLEIA-  
NO.

narum. Imo maritum, de prouincia deiectum actumque in longissimum exilium, sequi oportet uxor damnaturque, si renuerit, formula, his uerbis concepta: *daß sein Eheweib ihrem Ehemanne mit wesentlicher Haabe zu folgen schuldig.* Quod certe Romae non fuit, ubi causa quaeuis leuissima satis fuerat ad diuortia, dummodo mutaret uxoris affectionem, ut habetur in *l. i. C. de repud.* Vtrum uero legibus diuinis nostri, an Latii christiani mores magis concinni, illud quidem non est huius loci. In usu Graeci sermonis constat, *προπέλας*, minus recte adulterium reddi, cum testimonio ueterum denatauerit quoduis turpe factum, unde species aliqua infamiae, uti in uernacula dicimus; *eine schande in Israel*. Sed de his alibi acturus est *dn. praef.* in opusculo: *de sensu iuris uerbi προπέλας*, e doctrina Ebraeorum; SS. patrum; Latii christiani; uoce ecclesiae declarato & restituto, iure postliminii. Sed in uiam redeamus. Vxor igitur, in his casibus fideiussor mariti, non tam alienum, quam suum negotium gerit redemitque proprias calamitates. *Deinde* cum uxor ex fortunis mariti etiam accipiat speretque lucrum, eius olim heres, intuitu certe mariti necessaria, cum illi non liceat, portione, in statutis definita, eam priuare per testamentum aut ultimam uoluntatem: tum quidem equitas uult, ut eadem succurrat mariti infortuniiis. *Praeterea* mater nostris moribus, quod *dn. praef.* docuit in suis *miscellis*, liberos habet in sua potestate hisque eodem uinculo tenetur, quam pater: igitur improbum esset, matrem recusare, officia, quibus liberorum, patre seruato, procurare ac promouere licet commoda & salutem. Tantum abest, illud esse in patria indulgendum mulieri, ut resiliat, Velleiani obtentu, a fide data rei, ad quam non tam facto suo ac uerbo, quam lege ac uirtute obligatur. Ita in *Holsatia* si quidem uxor fideiussit pro marito,

rito, ad auertendam *obstagi* poenam, quae comitem habet infamiam & demum carcerem *den Schuldyburn*, non adiuuatur *Velleiano*. Idque eo magis, quoniam simplex siue litteris siue uerbis aut re ipsa renuntiatio *Velleiani* facta obligat uxorem, uti claris uerbis habetur in *der LANDGER. ORDN. part. IV. p. 97. constitutione von Fraeulichen Gerechtigkeiten, HUVENBANDT genennet*. Contra non licet uxori suum maritum persequi *OBSTAGIO*. Quod pariter est lege prohibitum in *der LANDGER. ORDN. p. 155. 156.* his quidem uerbis: *Es soll auch keine Ehefrau bemaechtiget seyn, ihren Ehemann mit obstagial-proceffen zu behürden und anzubringen, bey Verlust der Fraeulichen Gerechtigkeit*. Ne uxor, quae redimere tenetur maritum ab infamia, hac eundem notare queat iure *obstagi*.

*Qui exulter  
obstadium ad-  
uersus mari-  
tum?*

## DIFFERENTIA III.

*Qui uxori fideiubere liceat pro extraneo?*

*Romano iure*, DOTE sola excepta, uxor FIDEIUBENDO obligare poterat omnia bona sua siue *PARAPHERNALIA* essent siue *RECEPTITIA*, siue ullo mariti sui consensu & auctoritate, cui in neutro bonorum genere aliquid iuris (s): aliter *iure Germanico*, siue coniugalium bonorum sit *COMMVNIO*, ubi foeminam habent instar minorennis & maritum illius curatorem, siue praeterdotalia indolem habeant *PARAPHERNORVM*, ubi marito

*De vxore fideiussore pro  
extraneo?*

marito indulgent vsvmfrvctvm, ut eius omnino interfit, non destitui hoc, si foemina se obstrinxerit pro alio legibus fideiussionis (6). Vtriusque iuris apud doctores, maxime forenses turpissima confusio & perturbatio. Ut omnino sit opus lumine huius differentiae.

Num I. R. in  
PARAPHERNIS  
marito uel ad-  
ministratio uel  
ususfructus?

(5) Cum Romano iure mariti, post dotem, nullum ius in bona uxoris, imo, ne quidem eorundem ei debeatur in paraphernis administratio, facile ad intelligendum est, potuisse etiam, sine mariti consensu, foeminam bona sua, dote excepta, alteri obligare. Licet enim aliqui iuris interpretes hoc uelint negare, frustra tamen sunt, cum res sit clara & omnis dubitationis occasio ueniat ex Latii & aliarum prouinciarum ignaua inuicem commixtione. Nam principio ipsa adpellatio hoc ostendit tam in Romano, quam in Graeco sermone. In ultimo enim ideo παραδοξα dicuntur, quasi παρά, praeter & φερν dos, id est, praeterdotalia aut extradotalia. Quae marito non data, instar dotis, quae a dando in manus mariti; sed sibi ac suis usibus retenta ab uxore. Quae uerbi luculentia forte in causa fuit, quare iureconfulti Romani, quod in iuris arte raro factum alias, mallent nomine Graeco uti, quam suomet, uerbo scilicet peculii. Latini enim una uoce res non poterat describi. παραδοξα enim Romae audiit uxoris peculium, id est, pecunia aut bona reseruata neque adscripta, dotis instar, usibus aut dominio mariti. Nam ita mihi scripsisse uidetur ULPIANVS in l. 9. si ego Se-  
iae

Negatur ar-  
gumento  
a) adpellatio-  
nis.

extradotalia,  
praeterdotalia.

peculium mu-  
liebrae,

Noua lectio  
pro Galli, alias

iae §. 3. D. de iure dotium, quamuis primus sim, qui contextum ita emendet: Ceterum si res dentur in ea, quae Graeci παρασκευα dicunt, quaeque GALLI (pro quo uerbo lege ALIAS) PECVLIVM adpellant: uideamus, an statim efficiuntur mariti? Et putem, si sic dentur, ut fiant, (scilicet hoc uelut uxor tribuatque marito) effici mariti. Si uero nihil uxor indulerit hic marito suo neque tacite, neque expresse: tum PECVLIVM permanet soli uxori, idque tam administratione, quam dominio, usufructu ac usu. Ceterum diu de causis cogitavi, quod Ulpianus adfirmet, παρασκευα Gallis esse peculium. Nam primo hoc falsum est, cum Gallis neque peculii uox hic respondeat neque aliquod in lingua eorundem synonymum. Deinde quae-so! quid opus fuerat, ad fingere Gallis, quasi scilicet ipsi dicerent παρασκευα PECVLIVM, cum ipsi Romani Graecum uerbum in sua lingua aliter fere reddere, nesciuerint, quam uxoris peculium, instar peculiorum generis alius, militaris, castrensis, cetera. Est certe huc omnino faciens l. 31. donationes in §. 1. D. de donationib. his uerbis a PAPINIANO concepta: ubi PARAPHERNA dicuntur EXTRA DOTEM usibus puellae tradita, ut PECVLIVM puellae (id est bona paraphernalia) a DOTE distingueretur. Geras igitur cecinisset Ulpianus, Gallis tribuendo paraphernorum hoc synonymum, muliebri PECVLIVM, quod in ipso regnat Latio. Quapropter huic loco medicas attulimanus, expungendo uocem GALLI & reponendo ALIAS siue ALII, quod idem est, quam alioquin (\*). Vt ita sibi nunc o-

in l. 9. D. de iure dot.

(\*) Infantissimus hic est Dion. GOTHOFREDVS ad l. 9. Siego Seiae §. 3. D. de iure dot. nota lit. c. Vox (peculium) Gallorum antiqua, ut ALLAVDE, ALLODE; COMBINAE, PETORITI, barbara uerba, a Romanis quoque in ciuitatem recepta. Exhibilat hoc merito Ant. CONTIVS ad h. l. sed sibi ideo male consulit, quod iam addit, Ulpianum non uocabuli originem tribuere Gallis, sed rei ipsius. Quoniam apud Gallos, uti apud Ger-

manos honorum inter coniuges fuerit communio adeoque omnia mariti, nisi uxor sibi peculii nomine aliquid reseruasset. Verum ultimum nix est factum apud Germanos & Gallos, ut adeo operac pretium non esset eo prouocare. Praefertim, cum ipsi Latio per legem adlegatam PECVLII MULIEBRIS UOX in bonis EXTRA DOTEM aut PRAETER DOTALIBVS esset propria.

b) legum ne-  
gantium ma-  
rito παρά-  
Φερνα.

omnia bene consent, si ita legatur: quae Graeci παράΦερνα dicunt quaeque ALIAS peculium adpellant, scilicet Romani. Facile enim fieri potuit, pro uoce ALIAS, errore legentium factum esse GALLI. Deinde, praeter dictam legem 31. §. 1. D. de donatione, ubi omnia haec uxori tribuuntur, quae dantur extra dotem atque legem 9. §. 3. D. de iure dot. ubi exceptio additur, nisi aliud uisum fuerit mulieri, quae certe firmat regulam in casu non excepto, si scilicet nihil eius rei extradotalis marito indulserit uxor; alia etiam supersunt loca, ex quibus constare potest idem. Nam in l. 8. hac lege C. postis conuenit. claris uerbis definitur: Vir in his rebus, quae extra dotem mulier habet, quas Graeci parapherna dicunt, nullam, uxore prohibente (ergo omnia hic relinquuntur illius indulgentiae) habeat communionem nec aliquam ei necessitatem imponat. Sequitur nunc obiectio: Quamuis enim bonum erat (praesertim Romae, ubi pudor foeminarum uix admisit, ut res ipsae suas administrarent, quod dn. praef. docuit in dissertat. 1. ad. S. C. Vell. differentiat. 2.) quae seipsam marito committit (fallaciam consecutionis a credendo se ad credendum marito nummos, ostendit dn. praef. in dissert. 3. ad S. C. Vell. differ. 3.) res etiam eiusdem patri arbitrio gubernari: attamen NVLLO MODO, muliere prohibente uirum, in paraphernis se uolumus IMMISCERE. Vnde clarum est, uirum neque manus hic ligauisse uxori neque sibi adrogare potuisse administrationem paraphernorum. Imo, quicquid contra uoluntatem & consensum uxoris ea in re extra dotem egit susceperitque, illud nullum habetur & omnia mulieri restituenta l. 17. de his C. de donat. inter uir. & uxor. Verum enim uero, obmoueris forte dubium: hac ratione confundi PARAPHERNALIA bona cum RECEPITIS. Quae tamen inuicem fuerint diuersa. Nam mulieres Romanas TER diuisisse bona ante, quam nubarent. Primam classem fuisse

Oppositio  
a) confundi  
sic PARAPHER-  
NALIA cum RECE-  
PITIS.



isse eorum, quae marito adferrent in **DOTEM**, in quibus <sup>discrimina</sup> <sup>1) dotis.</sup> maritus habuerit **dominium** & illius effectus, reditus omnes rerum dotalium; **alteram** eorum, quae mariti darentur <sup>2) paraphernarum.</sup> **administratiōni** & nonnunquam etiam **usui**, quae dicta sunt **PARAPHERNA**: <sup>3) receptitiorum.</sup> **tertiam** demum eorum quae uxor sibi **reseruaret** retineretque in sua cum administratiōne, tum in **dominio** (\*) cum omnibus re ditibus. Haec ultima bona ideo dicta fuisse **RECEPTITIA**, quasi **RETENTA** sibi. Quoniam ea **recipere** dicamur, quae in contrahendo **excipiuntur**, ut adeo iure dici possent bona **EXCEPTITIA**. In uernacula **SPILLGELDER**, non uero **Spielgelder** <sup>Spielgelder</sup> <sup>idem, quam</sup> <sup>Fraueingelder.</sup> Nam **SPILL** idem nobis, quam **fusus** & **colus** adeoque idem, quam **PECVNIA MVLIEBRIS** aut **uxoria**, **FRAVENGEL-**

(\*) Insignis hic la uolentiae est locus **A. GELLII** lib. **XVII. c. 6.** quem ideo in margine exhibemus. **M. Caro**, uocōniam legem suadens uerbis hīc **usus est**: Principio uobis mulier magnam dotem attulit, tum magnam pecuniam recipit, quam in uici potestate non committit, eam pecuniam uiro mutuam dat: postea, ubi irata facta est, seruam receptitium sectari, atq; flagitare uirom iuber. **Quaerebatur**: **SERVVS RECEPTIIVS QUID ESSET?** libri **statim** quae sūt, allarique sūt **VERRII Flacci de obsequiis** **Caronis**. In libro secundo scriptum inueniuntur est, receptitium seruam dici **NEQVAM** & nulli precii, qui, quom uenunt esse datus, reddibitur ob aliquod uitium, receptu: que sit. Propterea, inquit, seruus eiusmodi sectari maritum & flagitare pecuniam isobelatur; ut eo ipsa dolor maior & contumelia grauior uiro fieret, quod eum seruus nibili perendae pecuniae causa compellaret. Cum pace autem, cumque uenia istorum, si qui sūt, qui **Verri Flacci** auctoritate capiuntur, dictum hoc sit: **RECEPTIIVS ENIM SERVVVS** in ea re, quam dicit **Caro**, aliud omnio est, quam **Verrius** scripsit, atque id cuius facile intellectu est. Res enim procul dubio sic est: **Quandq; MVLIER**

**DOTEM** marito dabat, tum, quae ex suis bonis retinebat, neque ad uirom transmittēbat, ea **RECIPERE** dicebatur, sicuti nunc quoque in uenditionibus **RECIPERE** dicuntur, quae **EXCIPIUNTUR**, neque ueniunt: quo uerbo **PLAVTVS** quoque in **Trinummo** usus est, in hoc uersu:

Posticum hoc **RECEPIT**, quum aedis uendidit.

id est: quum aedis uendidit, particulam quandam, quae post eas, aedis erat, non uendidit, sed **RETINUIT**. Ipse etiam **Caro MVLIEREM** demonstrare **LOCVPLETEM** uolens, **Mulier**, inquit, & magnam **DOTEM** DAT, & magnam **PECVNIAM** **RETINET**. Ex ea igitur re familiarī quam sibi dote data reuinit, pecuniam uiro mutuam dat, eam pecuniam quam uiro forte irate recipere instruit; apponit flagitatorum seruus **RECEPTIIVVS**, hoc est, **PROPRIVM** suum, quem cum pecunia reliqua **RECEPERAT**, neque dederat dote, sed reuinerat: non enim **Seruo** mariti imperare hoc mulierem fas erat; sed **PROPRIO** suo. Plura dicere, quibus hoc nostrum iuar, super sedeo: ipsa enim sūt per sese euidētia, & quod a **Verrio** dicitur, & a nobis. Quod utrum ergo uidebitur cuique uerius, eo utatur. Atque haec tenus **Gellius**.

DER: *Spielgelder* uero audiunt, quae destinata lufibus & aleae (\*), a quo proposito *peculium* hoc *mulieris* omnino debet abesse. Illud igitur inde putant, clarum esse, quod *uxoris peculium* seu *recepticia* bona nequeant cum *paraphernalibus* confundi. Cum in *ulimis* marito fuerit administratio, quandoque & usus non in *primis*. Verum enim uero illud hic est sciendum; *olim* PRAETERDOTALIA *omnia* audiuisse RECEPTITIA aut *mulieris* PECULIUM. Post uero, quam uxores quaedam, iusto indulgentiores factae; ut in receptitiis etiam bonis marito nunc administrationem nunc usum *facto* darent, idque praeter iuris ordinem; inde *recepticia*, hac indulgentia marito collata, audiuerunt *parapherna* aut *paraphernalia* & receptitiorum nomen paulo amiserunt. Sed nostro instituto sufficit: quod *paraphernalia iure* sint *recepticia*, id est, talia bona, in quae marito nihil iuris; sed *facto* demum euenire queat, ut in *paraphernis* etiam marito aliquid detur. Quo casu *parapherna* porro non sunt *recepticia*, sed ab illis distinguuntur. In duplici igitur significato sunt *parapherna*. Vnus est *receptitio* *peculio* synonymus: alter uero ab hoc in eo distinctus, quod in *paraphernis* aliquid iuris dari possit marito uxoris uoluntate, non uero in *receptitiis*. Hoc egomet lumine accipio illa, quae hanc in rem congeffit Franc. HOTOMANNVS in libro de dotibus singulari. Summatim, *paraphernorum* nulli reditus ad maritum, nisi *facto* & uoluntate uxoris. Sed tamen urgent porro l. 21. *maritus C. de procuratoribus: ubi integrum sit, marito etiam a-*

Magere  
men maritum  
m. in para-

(\*) Quo sensu episcopis & anistibus assignari solent certi reditus, quorum eos non oportet reddere rationem, imo quos ludendo queunt perdere. Vt *Spielgelder* idem sit, quam *Handgelder*. Atque ita etiam apud principes, imperii adducti, alia bona sunt 1) in *aerario*, quae reipublicae, 2) alia in *fisco*, unde principi ea debentur,

quae ad uictum & cultum, 2) alia in *thesauro*, deß Fürsten seine *Schatroulgelder*, *Handgelder*, *Spielgelder*. *Quibuscum uxoris peculium die Spillgelder* nihil habent commune. Nisi quod mulieri etiam in illis liberae manus ad disperdendum alea aut lusu.

gere,

gere, uxoris nomine in extradotalibus, ergo eius interesse, forsitan ne destituatur eorundem commodis. Verum consecutionis huius uinculum est nullum. Nam melior ratio proditur in ipsa lege: *maritum citra mandatum in rebus uxoris cum solenni satisfactione agere: ne\* foeminae, persequendae litis obuentu in CONTVMELIAM MATRONALIS PVDORIS (\*) irreuerenter irruant & CONVENTIBVS VIRORVM uel iudiciis interesse, cogantur.* Vnde clarum est, indultum hoc marito uxoris causa, non mariti. Nisi, quod etiam hoc sit uerissimum, matronalis pudoris contumeliam in maritum quoque redundare adeoque etiam ab hoc impediendam & deuitandam. Quae omnia cum ita sint, uerissimum illud est: *errare turpiter iureconsultos, quotquot existimant, lege Romana maritis competere in paraphernalibus bonis usumfructum.* Aut maritum ideo foeminam prohibere posse, ne alienet aut periculo paraphernalibus exponat fideiubendo pro aliis. Torquent se titubantque in hoc argumento THESAURVS decis. 187. n. 1. FONTANELLA de pact. nuptial. claus. 6. gl. 2. part. 7. n. 22. GABRIEL l. 2. conf. 164. n. 4. DECIANVS lib. 4. conf. 84. n. 25. MENOCHIVS consil. 56. n. 2. seq. atque lib. 3. praesumt. 8. n. 3. plenius aliis Ferd. Arias de MESA lib. 2. resolut. c. 30. Etiam illud falsissimum est, bona uxoris praesumi in dubio ac credi deberi paraphernalia; quoniam & dotalia pactum uelint & receptitia. Igitur in dubio maritō usumfructum relinquendam GAILIVS lib. 2. obs. 82. & ad illum Bern. GRAEVEN, CARPZOVIVS part. 2. consil. 16. defin. XI. n. 2. 3. STRYKIVS cautel. contract. sect. 3. c. 8. s. 6. Nam si paraphernalia ea dixeris bona, in quibus maritus usumfructum habet, haec tenus citatae leges ostendent, illum non indulgeri in extradotalibus marito, nisi ex

pernis  
absque man-  
dato.

Num bona  
PRAESUMAN-  
TUR parapher-  
nalia.

(\*) Verba legis admodum sunt natalia. Quia doctrinae dn. praef. in differ. 1. ad Vell. proctus concinna sunt; quod rompat perecundiae sepimentum mulier,

quae causas ipsa, licet proprias admittret. Idque ex moribus & institutis Romanorum.

mulieris consensu claro aut tacito. Qui praesumi non debet, probari ac doceri. Germanico autem iure contra dixerim, praesumenda omnia bona si non *dotalia*, talia tamen, unde marito minimum debeat usufructus.

Germ. l. qui  
VSVFRVCTVS  
marito in  
PARAPHERNIS?

(6) Scilicet Saxonico iure clarum est: PARAPHERNALIVM reditus & VSVFRVCTVM lege deberi marito. Ut adeo opus sit, ut uxor sibi pacto prospiciat declaretque bona *extradotalia* pro RECEPTITIS, id est, PECVLIO sibi proprio, quoad dominium & usum, in quae marito nihil iuris. Ita ZOBELIVS *part. 3. differ. 9. n. 6.* PETR. HEIGIVS *part. 2. qu. 15. n. 2.* COLERVS *part. 2. decis. 286. n. 1. & 3.* CARPZOVIVS *part. IV. constit. 21. def. 1. n. 8.* atque idem de iure foeminarum *dec. 1. posit. 3. n. 6.* Si requisiveris causas, illas allegare solent ex iuris Saxonici SPECVLATORE *lib. 1. art. 31.* ubi uerba sunt haec: *Mann und Weib haben nicht gezweyer Gut zu ihrem Leibe. Kein Weib mag auch ihres Guts ICHTS VERGEBEN* (ergo neque fideiubendo, quia, quod prohibitum in termino, prohibitum in uia) OHN IHRES MANNES WILLEN, *daß er es durch recht leiden dörf.* Unde satis nunc constat; frustra uxorem fideiussorem obligare bona *paraphernalia* atque, eorundem obligatione, destituere maritum *legitimo usufructu*, sine eius consensu, Suggestit *dn. praes.* casum, quem habuerit ipse in foro cum Saxonica foemina illustri fideiussore, qui fuerit hic. Obaceratus erat maritus. Uxor eum aere uoluit liberare. Igitur in se susceperat debitum in iudicio; renunciauerat S. C. VELLEIANO & AVTHENTICAE *si qua mulier*, imo SAXONICIS etiam constitutionibus, si qua essent, quae obesse uiderentur muliebri obligationi; omnium fuerat admonita Uxor & reddita certior: eierauerat singula coram iudice, formula solenni; suo instructa fuerat curatore adeoque omnia cum sollicitudine cauta, ne ad lapidem aliquem in fideiussione muliebri offenderetur. Quod magis

Casus singula-  
ris anni MD  
1000XVIII.

magis est: scripserat uxor fideiussor *cambiam*, ne ullus porro scrupulus attenderetur. Quid uero? Venit dies. Vxor moras nequit. Vocatur illa ideo in iudicium & processum cambialem. Nunc attende technas & artes decipulas. Intervenit primo maritus testaturque: *uxorem neque cambio neque mutui contractu neque fideiussorio nomine se obligare posse sine consensu sui mariti*. De cuius damno hic agatur. Quod priuatur ipse usufructu paraphernalium. Reponebatur, esse hinc interuentioni nequicquam locum in *cambio*. Regessit maritus, omne *cambium* muliebri praesumi *mutuum*. Quo nequeat, inuito marito, mulier obstringi. Illud in fine intellectum. Consilium, prouide susceptum, male cessisse. Nam uersa fuit pecunia in rem mariti; ipse maritus rogauerat creditum; numerauerat aes, omnium auctor fuerat & actor: ut adeo tale quid non uideretur a marito metuendum. Cuius ideo in obligatione uxoris mentio non facta, ne quis suspicaretur, mulierem mariti blanditiis ad fideiubendum inductam. Sciuit haec maritus: sed post ueniam rogauit excusauitque improbam interuentionem telo necessitatis, ad quam uxor eius & ille cum hac redacti, ut nihil utrique restaret, quam nectere moras & trahere tempora executionis. Speciem hoc sit muliebris fideiussionis, frustra in paraphernalibus factae, marito non consentiente. Ceterum si dicere debeo, quod res est, cum, Germanico iure, post thalami condescensionem coniugialium honorum sit communio, omnia illa Graeci & Romani iuris uocabula *dotis*; *paraphernorum*; *receptitiorum*, aliaque marito propria penitus exulant, quando coniugalia bona, in unam massam collata; unius etiam eiusdemque omnia indolis sint eandemque utrique coniugi tribuant facultatem. Quod ante me egregie discussit ostenditque *Abrab. WESEL de conubiali bonorum societate in tractat. II. c. 1. 2.* Inde, si calculus iuris Germanici ducendus, foemina cum in suis,

*Qui exulent  
parapherna  
iure Germa-  
nico?*

tum in mariti bonis obligabitur fideiubendo sine ullo mariti sui consensu. Quemadmodum hoc ipsum dari solet marito, ut fideiubeat pro extraneo & obliget bona uxoris, licet inuitae. Atque his forte moribus olim usi sumus. Hodie uxori hoc negant ideo, quoniam illa habeatur instar minoris, qui nihil possit sine auctoritate sui curatoris. Qualis eo sit usque maritus, quo usque eum causa non tangat sitque auctor in rem suam. Quo casu nominandus curator extraneus. Verum in quamplurimis Germaniae prouinciis exulat *curator mulieris maiorēnis*. Vt adeo non tam Germanis, quam Romanis institutis ille tribuendus esse uideatur.

## DIFFERENTIA IV.

*Qui uxoris fideiussio ipso iure nulla?*

De fideiussione  
mulieris in  
PUBLICO INSTRUMENTO.

*Romano iure si mulier fideiusserit litteris, a tribus testibus publice subsignatis, opus demum habuit S. C. Velleiano & illius exceptione; si uero extra scripturam fideiussio facta a muliere, illa ipso iure fuerat nulla; uxor autem, fideiussor pro marito, nihil egerat siue in litteris fideiusserat siue absque illis (7): Germanico iure error quasius fecit; foeminam, etiam uxorem, tum obligari, si fideiussio litteris publice concepta coram tribus testibus aut coram duobus testibus & notario (8). Ceterum parum*

rum interest in usu, nobis forensi, utrum actus *ipso iure* sit nullus; an *exceptione* demum tollendus & impugnandus; licet Romae plurimum inter utrumque interesset. Quoniam in re, *ipso iure nulla*, actionem non dabat praetor: quam tamen indulgebat in illis, quae demum exceptione debebant elidi ac dissolui (9).

(7) Principio ex *fideiussione* AGI potuerat aduersus mulierem; sed mulieri tum incubuerat, in EXCEPTIONE uti Velleiano. Vti patet ex l. 2. 3. C. ad S. C. Vell. GOEDDEVS de *stipul.* c. 7. concl. 16. n. 288. BENEKENDORFF de *contr. mul. sect. 2. enemb. 5. p. 2. art. 1. n. 29. p. 290.* Inde praetor dabat actionem, quia casus esse poterant plures, in quibus locus non fuerat S. C. Velleiano. Vt pote si mulier acceperit fideiussionis honorarium; si *deceperit* creditorem, mentiendo rem oppignoratam esse mariti; si fideiussionem post *biennii* spatium repetierit & quae alia sunt generis eiusdem, de quibus dn. praef. in *dissertatione de differentiis iuris in Velleiano exul.* Quare actor a limine iudicii non poterat in hoc causae genere statim repelli. Verum IVSTINIANVS in l. 23. *antiquae* §. 2. C. ad S. C. Vell. in alia iuit definiuitque: *ne mulier pro aliis obligetur, nisi INSTRUMENTO publice confecto & a TRIBVS TESTIBVS SVBSIGNATO. Sin autem extra hanc observationem mulier intercesserit, pro NIHILO HABEATUR obligatio neque opus S. C. Velleiano.* Ex hoc igitur tempore neque *verbis* neque *privata scriptura* obligari poterat foemina fideiussor, etiamsi uerfaretur in causa, ubi alias licitae & legitime adprobatae muliebres fideiussiones exularetque S. C.

D

Velle-

MVLIERIS FI-  
DEIUSSIO *ita*  
demum  
1) *exceptione.*

2) *ipso iure, si*  
instrumen-  
tum fideiussi-  
onis non publi-  
cum.

Velleianum. Si requisueris huius arctioris limitis, muliebrium fideiussionum publico *instrumento adligatarum*, causas: haud dubie fuerunt abusus exulantis in tot casibus *S. C. Velleiani*, quos Iustinianus cum tollere nollet, muliebres omnes fideiussiones publico *instrumento adligavit*, ne mulieres temere ad fideiubendum inducerentur. Igitur praetoris in muliebris fideiussionis processu prima cura fuerat, requirere *instrumentum*, ad normam huius legis conceptum. Quod si non adfuerat, negabat *actionem*, tanquam ex re infecta. *Instrumento autem saluo, dabat actionem* commendabatque iudici pedaneo: qui ideo foeminam fideiussorem in ius uocauit & uocatam, si Velleiano uti & posset & uellet, absoluit uel, si in casu proposito exulauit Velleianum, inuitam condemnauit. Quid uero de VXORE fideiussore pro marito? Aduersus hanc omnis *actio negata* licet fideiussio uxoriam relata esset in publicum *instrumentum*, a tribus testibus subsignatum. Ut ego ita sentiam, faciunt clara uerba AUTHENTICAE *si qua mulier*. Edicit in illa imperator, nullatenus VXORIS pro marito suo intercessionem ualere, sed ita esse, ac si neque factum quicquam neque SCRIPTVM (quo uerbo haud dubie ad *instrumentum* respexit, in l. 23. C. ad Vell. definitum) esset. Ni manifeste probetur uersio in utilitatem uxoris. Hic igitur casus alius nullus exceptus, ubi exularet uel *authentica* uel *Velleianum*: ut adeo recte posset praetor *actionem negare* & alimine iudicii repellere actorem ex re, ipso iure nulla. Ita egomet leges accipio, parum curatis interpretibus, apud quos omnium hic rerum maxima confusio & perturbatio. Specimen offendes in BENERENDORFFIO de mulier. contr. sect. 2. membr. 5. part. 2. art. 1.

3) si fideiussio  
non pro mari-  
to.

G. I. non opus  
esse INSTRV-  
MENTI solenni-  
tis.

(8) Scilicet principio, dicunt hodie non opus esse, ut uxor fideiussor pro marito utatur *instrumento a tribus testibus subsignato*. Idque propterea, quoniam *instrumenta*, etiam a notario & testibus duobus uel ipso iudice subscripta, habe-



habeantur publica mereanturque publicam fidem. Vel etiam, quoniam proprium chirographum satis sit neque solennitas instrumenti trium testium subscriptione roborati unquam fuerit receptum. Laquelle solennité ne fut iamais receue ny approuuée en France, decidit Philip. BUGCNYON lib. 1. satyra 40. Reuocatam uero esse instrumenti, saepe laudati, solennitatem, testantur CHRISTINAEVUS uol. 3. decis. 36. n. 10. atque SANDE lib. 3. tit. II. defn. 6. Verum recte b. m. s. STRYKIVS de caus. contr. sect. 2. cap. 6. §. 12. iudicat: si haec instrumenti solennia requirantur in mulieris intercessione, renuntiationes fore otiosas, quae tamen in foris ubique regnent. Quamuis ab illo in eo iterum simus alieni: quod existimet, excipi in dicta l. 23. C. ad Vell. casum hunc: nisi foemina Velleianum renuntiauerit. Quia tum scriptura etiam iufficiat priuata. Verum moribus hoc ita receptum esse, non disputo. Est autem legis Romanae rationibus haec interpretatio prorsus aduersa, in quibus nulla renuntiatio attenditur neque illius aliqua hic mentio, ut recte aduersus Wesenbecium arguit BRVNNE-MANNVS ad l. 23. C. p. 306. In pari errore uersantur, qui trium testium subscriptione formatum instrumentum tunc denarium necessarium esse uolunt, si malit mulier litteris, quam uerbis contrahere, ut opinantur BERLICHIVS part. 2. concl. 19. n. 29. BALTHASAR ad ius Boic. ref. 12. n. 10. Quo ipso docent quidem iureconsulti, quod uideant, l. 23. C. ad S. Vell. in foro non attendi. Sed malunt aliquid ad fingere Latii legibus, quam profiteri illius a Germanico iure differentias. Ceterum sunt etiam plurimi scriptores forenses, qui, uel ob male intellectam legem hanc uel quod tum nulla suspicio mulieris aut uxoris deceptae, docent; obligatam esse tam mulierem aliam quamuis, quam uxorem, pro marito fideiussorem, si INSTRUMENTVM publice a tribus testibus fuerit subscriptum. Hodie, ait BARBOSA ad l. 23. C. S. C. Vell. num. II. mulieres fideiubentes indemnes seruantur; nisi super intercessione INSTRUMENTVM publicum, in praesentia trium testium subscriptorum

D 2

si

praesertim 1)  
si foemina renuntiet Vell.

2) uerbis uel  
fideiubere.

Imo ubi INSTRUMENTVM  
solenne ibi exulare Velleianum.

fit factum. Eodem errore ducuntur plurimarum prouinciarum statuta. Ita NORIBERGENSIA tit. XIX. lege 4. §. 3. Es soll auch den EHEFRAVEN unbenommen seyn, für die Ehemänner bürgschafft zu thun. Doch daß die VERSCHREIBUNG in beyseyn ZWEYER ererbener Zeugen geschehe. Idem in FRANCOVRTANA part. 2. tit. 16. §. 11. & clarius in part. 3. tit. 7. §. 16. Verba ipsa laudauit dn. praef. in dissert. 2. diff. 1. num. 14. p. 22. de hoc argumento.

Iner actum  
ipso iure nul-  
lum & excep-  
tione eliden-  
dum.

(9) Licet forte quis dixerit, in actu ipso iure nullo 1) non opus esse in integrum restitutione, 2) sententiam pro illo latam in nullitate esse insanabili, 3) praescriptionem eius non nisi triennariam, 4) semper locum esse exceptioni nullitatis, etiam postquam lata sententia & decreta executio, 5) ipsum iudicem supplere tum aliquid posse ex officio, 6) tum non opus litis aliqua contestatione cetera, quod omne locum non habeat in exceptionibus: illud tamen est manifestum, non actiones ideo negari partibus, cum nostri iudices ipsi iudicent, non uero causarum actiones iudicibus pedaneis demandent. Imo cum uariant etiam modi procedendi in iudiciis diuersis: neque discrimina enumerata ubique locum habent. BERGER in oecon. iur. lib. 3. tit. 3. n. 7. exceptionem S. C. Velleiani cum ante litem contestatam, tum POST REM IUDICATAM, ad impediendam executionem opponi posse, modo sit in continenti liquida. At enim iure Saxonico electorali illi exceptioni, post rem iudicatam, locus non datur. Sed eadem reiicitur in iudicium reconuentionis.

## DIFFERENTIA V.

Num Velleianum profit hereditibus?

De obligatione  
HEREDVM UNO-  
ris fideiussoris.

Romano iure exceptio S. C. Velleiani  
& AVTHENTICAE si qua mulier etiam  
prodest HEREDIBVS foeminae fideiussori-  
ris (10): Germanico iure putant, AV-

THEN-

THENTICAM si qua mulier ideo non prodesse HEREDIBVS Uxoribus, quoniam morte confirmatae donationes inter coniuges quoque sustineantur (II) aut, quod ego addo, in hoc iuris genere Germani sumus indulgentiores.

(10) Quod R. I. exceptio Velleiani competat etiam foeminae fideiussoris heredibus, illud quidem clare habetur in l. 20. C. ad SC. Vell. his uerbis: HEREDES quoque mulieris (multo magis uxoris) aduersus creditores EADEM exceptione, quae ex S. C. introducta est, uti posse, dubium non est. Licet enim exceptio Velleiani sit instar personae adscripti priuilegii, quod alias non transire solet ad heredes l. 7. exceptiones D. de except. Cum tamen VELLEIANVM & magis AVTHENTICA si qua mulier inter leges prohibitiuas; fideiussionem habeant pro nulla; rationem supponant, foeminam uel laesam uel deceptam: ideo bene etiam consulitur hic HEREDIBVS, praesertim aduersus maritum, ne hic subtrahat bona, quae defunctae uxoris debentur consanguineis. Neque obstat, quod tamen uxori donare liceat suo marito, quod consecutionis uinculum. STRYKIO probatur in V. M. lib. XVI. tit. 2. §. 15. Nam primo si de animo constet mulieris iniungatque illa hoc heredibus, omnino illi praestare tenentur defunctae uoluntatem. Verum illa uoluntas facti est, non iuris. Deinde si ita arguere licet: cui donare potest foemina, illi tenentur fideiussoris heredes, tum omne Velleianum exulabit intuitu extranei. Tandem alium animum habet foemina donator, alium fideiussor, qui cum diuersi sint, inuicem non debent commisceri ac confundi.

(II) Ita rem definiunt CARPZOVIVS part. 2. const. 16. def. 9. Qui AVTHENTICA. atque de iurib. foeminar. decad. 4. posit. 8. n. 1. BERLICHIVS part. 2. concl.


Qui I. R. exceptio Velleiani aut AVTHENTICAE competat HEREDIBVS?

si qua mulier  
I. G. non profit  
heredibus?

2. *concl. 19. n. 68. s. STRYKIVS in V. M. lib. XVI. tit. 1. §. 15. AV-  
THENTICAM si qua mulier non prodesse heredibus uxoris,  
quia uxor, non reuocans ante mortem fidem datam  
mariti creditoribus, uideatur authenticæ nuntium mitte-  
re; imo uiro, quicquid fideiussit, donare. Indulgentior  
ego hic sum in foro Germaniæ. Quia ibi moribus  
introducitur, uxorem renuntiare posse tam Velleianum,  
quam authenticam si qua mulier; deinde, quoniam uxori  
nefas non est, uiro donare, quod *dn. praef.* ostendit in  
*dissert. 1. differ. 6.* huius argumenti; porro quoniam fere in  
omnibus Germaniæ provinciis maritus sit heres mulie-  
ris adeoque tum consanguineis defunctæ uxoris tanta  
iniuria non fit, quam in Latio, ubi maritus ab hereditate  
uxoris prorsus fuit exclusus; ad extremum, quoniam  
in *differ. 1.* a nobis defensum, facilius Germanico iure  
obligari uxorem pro marito intercessorem, quam  
pro extraneo. Vnde etiam in eo me habet consentien-  
tem MEVIUS *part. 7. decis. 229. quod uxor, si mortuo marito, in-  
tercessionem, pro uiro factam, repetat, omnino obligetur neque  
gaudeat authentica aut Velleiano.* Licet enim clare dicatur  
in AVTHENTICA si qua mulier, quod ideo uxor fideiussor  
non obligetur, licet fideiussorem repetierit, quod tantum  
attendi debeat in fideiussione pro extraneo: tamen ob  
rationes, paulo ante dictas, in patriæ foris omnino ui-  
duam condemnarem ad soluendum. Quia tum certe  
donare uidetur & nuntium mittere muliebribus benefi-  
cis. Sed cum hoc Romæ fieri non potuerit: igitur Ro-  
mana hic iura aliud iudicium mereri uidentur. Quæ in  
oculis habere potuisset CARPZOVIUS in *part. 2. const. 16. def. 3.*  
quando tum etiam liberat uiduam ab omni obligatio-  
ne. Verum cum paulo ante Carpzouius finxerit donati-  
onem in uxore moribunda non reuocante intercessionem,  
frustra ipse est nunciatio durior, in uxore interces-  
sionem pro marito, post eius mortem repe-  
tente.*

Qui G. I. u-  
xor, REPETEN<sup>s</sup>  
fideiussorem  
post mariti  
mortem, obli-  
getur?





90 A 6407

ULB Halle

002 916 738


3



Reho ✓

06.20016d1







DISSERTATIONE INAUGVRALI

*Differentias iuris  
Romani & Germanici*

IN  
**FIDEIVSSIONE  
VXORIS,**

PRAESIDE

**IOANNE PETRO A LVDEWIG, ICTO,**

S. R. MAIESTATIS CONSILIARIO INTIMO ATQVE REGIMINIS  
IN HOC DVCATV, IVRIS ET HISTORIVM PROFESSORE,

PRO DOCTORIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS

RESPONDEBIT

**ISAAC. NICOLAVS SCHWASMANN,**

PARCHIM. MEGAPOL.

DICASTERII GVSTROV. ADVOCATVS ET PROCVRAT. ORDIN.

H. L. Q. S.

DIE XVIII. MENSIS MAII CIO IOCCXX.

HALAE VENEDORVM,

TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI ACAD. ET SENAT. TYPOGR.  
MDCCLXXXVII.

(4)

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

